



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Vita S. Evcherii, Episcopi Lvgdunensis: Ex ea quæ est per Adonem Archiepiscopum Treuirorum. Ponitur vicesimus eius sedis episcopus: interfuit tertio Concilio Arelatensi habito Opilione & Vincomalo ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

*In vita S. Gerardi 3. O. Eobr.* sancto Gerardo \* Bromiensi Abbate translatum fuit.

*\* Broniensi. Hanc secundam translationem in Hispaniam refert Baro. in Notat. ad Martyr. Roman. hoc die ijsaē planè verbis. En humilitatem tanti Regis.* Secunda autem, celebriorque translatio facta est, corporis eiusdem sanctissimi martyris ex Gallijs in Hispaniam; cum nostra ætate, anno Domini millesimo, quingentesimo sexagesimo quinto, amplissimo apparatu ac religiosissimo cultu, non rheda aliqua triumphali, sed (quod omnem excedit pompæ amplitudinem) regijs humeris, in suam antiquam nobilissimam Toleranam sedem sacer Antistes & martyr illustris delatus est. Siquidem Rex Catholicus, Christianæ fidei robur & ornamentum, Philippus secundus, se sacræ subdidit sarcinæ; ouansque & exultans, humili obsequio augustior redditus, in prædictum locum euexit.

VITA S. EVCHERII, EPISCOPI LVGDUNENSIS: Ex ea quæ est per Adonem Archiepiscopum Treuirorum. Ponitur vicesimus eius sedis episcopus: interfuit tertio Concilio Arelatensi habito Opilione & Vincomalo Conf. anno Domini quadringentesimo quinquagesimo tertio, itemque Arausicano posteriori & Carpentoratenfi, celebratis anno Domini 463. Vixit & alius eiusdem nominis, tempore Caroli Martelli Episcopus Aurelianensis. Porro hunc Lugdunensem (quem Sanctus Mamertus miru extollit præconijs) germanum esse auctorem homiliarum illarum quæ Eusebij Emissem nomine falsò inscribuntur multis a probat Baro-  
romius.

*a Annal. Ecclesiast. tom. 5. & in Not. ad Martyr. Roman. hoc die.*



**S**ANCTVS Eucherius Lugdunensis antistes admirandæ fidei, vitæ, & doctrinæ vir, claris admodum ex nobilissimo Senatorum ordine natus parentibus; ea, à primis annis, floruit pietate, vt amplissimis bonis & possessionibus, atque mundi & carnis voluptatibus delicijsque, Christi amore spretis, in agro suo super fluuium Durentiam, intra septa speluncæ spontè se concluderit: ibidemque ieiunijs & orationibus strenuè cælesti Regi Christo seruiert. Defuncto autem pontifice Lugdunensi, cum vniuersa Ecclesia, de more antiquitus obseruato, triduanis ieiunijs & obsecrationibus vacaret, vt dignum à Deo ecclesiæ moderatorem consequi possent: ecce cuidam puero angelus Domini in visu apparens: Est, inquit, Senator quidam Eucherius nomine, super fluuium Durentiam in specu reclusus, rerum humanarum contemptor eximius, & cunctis virtutibus mirificè ornatus. Ad hunc deducendum pergite, & pontificio honore dignissimum, pastorem vobis constituite.

Quod cum diluculo puer senioribus retulisset, gratijs in communè omnipotenti Deo actis, missus à populo confestim adfuit Archidiaconus; qui simulac aduentus sui causam illi indicasset, Eucherius tota mente & corpore honorum perhorrescens, cum iuramento obtestatur, se de specu non egressurum, nec cum eo, nisi vim inferre & homini solitario vincula iniicere vellet, ad ciuitatem iturum. Hæc cum diu constanter assereret, repeteretque, Archidiaconus effractio speluncæ muro eum eduxit, & vinculis coercitum Lugdunum perduxit.

Quem

16. Nouẽ.  
Patria &  
parietes eius.

Vult in spelunca solitariu.

Diuinitus designatur episcopus.

Præcisè reclusus episcopatum.

Per vim ad episcopatum rapitur.



Quem pari animo vnoque consensu Clerus & populus sibi eligens sacerdotem, in pontificali cathedra solenniter collocauit.

*Vxor eius  
vixit in ca-  
stitate.  
Ille in epis-  
copum con-  
crato intrat  
eius spelun-  
cam.*

Erat illi vxor Galla nomine; quæ suscepto iam antè sacro velamine, summa castitate matrona Deo seruiebat. Cùm autem è spelunca ad pontificiam dignitatẽ euectum intelligeret, festina locum speluncæ subintrans, reliquum vitæ tempus in summo religionis studio ibidem exegit. Nec minori sanctitate duæ ipsorũ filiæ Consortia & Tullia floruerunt: quæ virginitatis gratia & signorum gloria claræ, calcato mundi fastu, de cunctis hostibus egregiè triumpharunt: similiter & duo eius filij Veranus & Salonius: quos monasticis institutis in Lerinensi Insula imbutos Ecclesia, postea habuit Episcopos.

*Præclarum  
S. Eucherij  
Lugdunen-  
Episcopi E-  
logium.*

Ceterùm extat infigne hoc Elogium præstissimĩ huius Præsulis apud Claudianum de statu animæ lib. 2. Haudquaquam tamen Eucherium præterierim mihi met viuentem, doctrina & præsentaneis coram disputationibus cognitum: nõ porò nuncijs aut lectione comperitum: qui scilicet viridis æui, maturi animi, terræ despuens, cæli appetens, humilis spiritu, arduus merito, ac proindè ingenio subtilissimus, scientia plenus, eloquij profluus, magnorum sui seculi Pontificum longè maximus, editis in rem fidei multijugis variorum operum voluminibus, ad populum quoque bis, super statu animæ concionatus est.